



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. VIII. De impedimentis prohibentibus,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

11 Colligitur quartò, posse Ecclesiam alicui in particulari interdicare matrimonium cum certa persona, iustà & rationabili causà id exigente: Si enim potest ex causà rationabili interdicare & irritare matrimonium generaliter, inter confanguineos v. g. vel affines, usque ad quartum gradum, & olim usque ad septimum: quidni etiam existente tali causà poterit irritare specialiter inter duas certas personas, & impedire ne validè contrahant? Putà, quia ex tali contractu oritur magna diffidia inter parentes, vel fieret gravis injuria alicui, tertio, vel grave damnum Reipublice immineret. Potest etiam Ecclesia, in poenam delicti, aliquem penitus inhabilem reddere ad quodecumque matrimonium, eumque privare jure naturali quod habet matrimonium contrahendi: sicut potest in poenam criminis aliquem libertate naturali privare, detinendo in carcere perpetuo, vel etiam virà ipsà spoliare.

12 Colligitur quintò, fideles, ubicumque existant, teneri servare leges Ecclesiasticas matrimonium prohibentes vel irritantes; quia licet versentur in terris infidelium, non desinunt esse subiecti Ecclesiae. Imò quamvis fiant Apostatae, & ad errores moresque infidelium transeant, semper retinent characterem Baptismi, & subjectionem potestati Ecclesiae, quam non possunt abjicere. Infideles verò in terris fidelium existentes, non tenentur servare leges Ecclesiae prohibentes aut irritantes matrimonium, quia non sunt subiecti potestati Ecclesiae: unde possunt licitè & validè contrahere, servando leges Principum saecularium quibus subsunt.

13 Colligitur sexto, graviter peccare fideles, qui cum aliquo impedimento ab Ecclesia statuto matrimonium contrahunt; quia fit contra prohibitionem Ecclesiae in re gravi, & si impedimentum sit dirimens, sacramentum inde redditur irritum. Unde peccatum eorum qui scienter & sponte contrahunt cum aliquo impedimento dirimente, ab Ecclesia statuto, communiter triplicem deformitatem habet; unam impedientiam contra praeceptum Ecclesiae; alteram sacrilegii contra religionem & reverentiam debitam sacramento, quod suà culpa irritam reddunt; tertiam contra castitatem, ordinandam talem contractum ad habendam copulam, praeteritum veri matrimonii.

§. III.

Solvuntur objectiones.

14 Contra praecedentes conclusiones, & corollaria inde deducta, obijciunt haeretici, quod si auctoritas humana, Ecclesiastica, vel saecularis posset apponere matrimonio impedimenta dirimentia, quae Deus ipse non apposuit, homo separare posset quae Deus coniungit, contra illud Matth. 19. Quod Deus coniunxit, homo non separet.

Sed facile responderetur, negando sequelam, Deus enim non coniungit per matrimonium nisi eos qui legitime contrahunt, quales non sunt illi quibus iusta de causà, ab Ecclesiastica vel saeculari potestate, appositum fuit impedimentum dirimens, quo reddantur inhabiles ad contrahendum.

15 Potest insuper obijci, quod nulla potestas humana, etiam Ecclesiastica, potest mutare materiam vel formam sacramentorum: Si verò posset Ecclesia statuere impedimenta matrimonium

dirimentia, posset mutare materiam huius sacramenti, quia posset irritare contractum aliquem legitimum, qui contractus est materia sacramenti matrimonii, à Christo instituta.

Verum huic difficultati objectioni abundè satisfecimus disp. 4. art. 3. §. 11. Ibi enim ostendimus, quod licet Ecclesia non possit mutare materiam sacramenti matrimonii formaliter, id est efficere ut alia sit materia huius sacramenti, quàm contractus legitimus; bene tamen materialiter, efficiendo scilicet ut contractus qui antea erat legitimus, non sit amplius legitimus. Sicut quædam mutaretur vel corrumpere quàm vel vitium, efficeret ut non essent amplius materia Baptismi vel Eucharistiae, subindeque horum sacramentorum materiam, non formaliter, sed materialiter tantum immutaret. Vel sicut si Ecclesia, vel Reipublica saecularis, per novam institutionem mutaret sensum horum verborum, *Ego te baptizo*, in alium plane diversum, & alia ad idem significandum eorum loco substitueret, mutaret quidem materialiter formam Baptismi, sed non formaliter; quia semper sciret, quod verba quibus externa corporis ablutio significatur, essent forma huius sacramenti, à Christo instituta.

DISPUTATIO VIII.

De impedimentis prohibentibus.

Ad eandem quasi 30. supplementum.

Impedimenta matrimonii alia sunt quae dicuntur impedientia tantum, quia scilicet impediunt, ne matrimonium licitè contrahatur. Contra contractum tamen non irritant. Alia verò sunt, quae dirimentia appellantur, non quod matrimonium jam factum & validè contractum dirimant, ut ipsi termini significare videntur; contra stat enim ex dictis disp. 5. matrimonium semel validè inter Christianos contractum, per solam professionem Religiosam, id est ante consummationem, de facto dirimimus, quia efficiunt, ut non dum illicitè, sed etiam invalidè, matrimonium contrahatur; ita ut cum aliquo ex his impedimentis contrahentes, separari debeant, aliter non validè contrahant. De primis impedimentis, breviter hic agemus, de aliis verò paulo fusiùs disp. sequenti differemus, quia circa illa graviores extant difficultates & controversiae.

Impedimenta ergo primi generis communiter numerantur duodecim, quorum aliqua ex parte naturalia, alia ex positivo oriuntur: quaedam ex crimine ortum ducunt, alia verò ex aliis causis proveniunt. Quinque prima, quae non oriuntur ex crimine, sed ex alia causà, his verbis comprehenduntur:

Ecclesia verum, nec non tempus scriptum,
Atque Catechismus, sponsa, in voto positum,
Impediunt fieri, permutum salsum.

Aliæ verò septem, quae oriuntur ex crimine, comprehenduntur istis:

Incestus, raptus, sponsa, mors mulieris,
Susceptus proprius solum, mors presbyteralis,
Vel sponsum, sollemniter, aut mortalem
Accipiat: prohibent haec coniugium ferendum.

ARTICULUS PRIMUS.

Quinque prima impedimenta exponuntur.

Primum impedimentum prohibens, est Ecclesie vetitum, id est prohibitio facta a superiori Ecclesiastico, de matrimonio contrahendo, quæ potest esse vel generalis & communis omnibus fidelibus, ut prohibitio contrahendi sine præviis denuntiationibus, aut earum dispensatione; vel specialis, ut cum aliquibus in particulari iusta de causa prohibetur matrimonium; puta ad vitandum scandalum, aut aliud grave incommodum; vel quia est suspicio impedimenti, & veritas prius detegenda est; vel quia fit præiudicium tertio; & talis prohibitio potest esse, vel ad tempus tantum, ut in exemplis adductis; vel in perpetuum, ut qui uxoris consanguineam cognovit, prohibetur ab Ecclesia, nullo unquam tempore, etiam defuncta uxore, alteri nubere, cap. 1. *De eo qui cognovit consanguineam uxoris.*

Secundum impedimentum prohibens, est tempus feriatum, id est certum anni tempus, quo Ecclesia matrimonia celebrari vetat, quod ante Tridentinum incipiebat ab Adventu usque post Epiphaniam, à Septuagesima usque ad octavam Paschæ; à diebus Rogationum ad octavam Pentecostes, & tribus hebdomadis ante festivitatem S. Joannis Baptiste, ut ex variis Conciliis & Patribus refert Gratianus 33. qu. 4. ut nempe fideles eo tempore melius se disponerent ad sacramenta confessionis & communionis, quæ ex Concilio Agathensi, tribus hisce festivitatis, Natalis, Paschæ & Pentecostes, fideles obligabant. Sed Tridentinum sess. 24. c. 10. de reformatione matrimonii, illud tempus contraxit aliquantulum, prohibens tantum ne hanc nuptiarum solemniter, ab Adventu usque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum, usque ad octavam Paschæ includere. Nimirum quia diebus illis Adventus & Quadragesimæ, jejuniis & orationibus vacandum est, abstinendumque à vana lætitiæ signis, quæ in solemnitate nuptiarum adhiberi solent, convivii, tripudii, choræis, & huiusmodi.

His porro diebus non prohibentur, saltem post Tridentinum, matrimonia simpliciter, sed solum cum solemnitate; ut liquet ex verbis ipsius Concilii, quæ sic habent: Ab Adventu Domini nostri Iesu Christi, usque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum, usque in octavam Paschæ inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus accepit; in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit. Accedit declaratio Cardinalium Tridentini interpretum, in hæc verba: Quocumque tempore potest matrimonium contrahi coram Parocho: sed nuptiarum solemnitates, convivia, traditio sponsæ ad domum sponsi & carnalis copula, certis temporibus prohibentur. Imo plures existimant, his temporibus, non solum licere matrimonium sine solemnitate contrahere sed etiam illud consummare, saltem si benedictio fuit ante accepta, & ad summum, culpam esse venialem, si nulla subsit consummationis causa. Unde ajunt, Congregationem Cardinalium, dicentem his temporibus carnalem copulam prohiberi, intelligendam esse non de præcepto, sed de consilio, vel iusta antiqua jura, quæ prohibebant his temporibus matrimonium consum-

Tom. V.

A mari. In omnium vero sententia, licet tunc inire sponsalia de futuro, & præmittere denuntiationes, quia hæc nullo textu juris eo tempore prohibentur, & quamvis aliqua jura antiqua id vetarent, contrariâ tamen consuetudine revocata censentur, & à Tridentino non renovantur prohibitiones, nisi circa solemnitatem nuptiarum, ut patet ex verbis paulo ante relatis.

Multi etiam celebres Theologi non improbabili-
4 ter docent, tempore interdicti posse matrimonium contrahi sine solemnitate, cum enim matrimonium (inquiunt) sit res æterna, & ad illud contrahendum homines habeant ab ipsa natura plenum jus, non est præsumendum impedire, nisi in suis decretis de hoc faciat expressam mentionem: unde existimandum non est, quod per solum generale interdictum veli Pontifex matrimonium quoad substantiam prohibere, sed duntaxat quo ad solemnem benedictionem Sacerdotis. Idque confirmant ex cap. *Capellan. de feriis*, ubi Clemens III. ait matrimonium quocumque tempore contrahi posse. Quod Glossa explicat de contradictione matrimonii sine solemnitate. Nec obstat quod tempore interdicti prohibeantur omnia sacramenta, præter Baptismum, Confirmationem, & Pœnitentiam, ac Eucharistiam per modum viatici, ut constat ex cap. *Alma mater de sent.* & excommunic. in 6. cum enim ex aliis juribus, præsertim ex verbis Clementis III. jam relatis, constat, matrimonium non comprehendi sub generali prohibitione sacramentorum, non fuit necessaria specialis exceptio illius, ut non intelligeretur cum reliquis sacramentis prohibitum.

Tertium impedimentum prohibens, est Catechismus, id est cognatio spiritualis nata ex catechizatione seu instructione in fide, quæ fit ante januam Ecclesiæ super baptizandum. Verum licet jure antiquo contraheretur ejusmodi cognatio, hæbetur expresse cap. 2. de cognatione spirituali in 6. idque ex eo quod catechismus sit quædam futuri baptismi professio, ejusque initium, vel etiam quædam regeneratio imperfecta, per fidem, quam protestatur pater pro parvulo; sicut sponsalia sunt quoddam matrimonii initium; & consequenter, sicut in iis contrahitur quidam gradus propinquitatis, ita & in illo contraheretur quædam cognatio spiritualis imperfecta; videtur tamen sublatum tale impedimentum, per Concilium Tridentinum sess. 24. de matrimonio, cap. 2. ubi expresse statuitur, cognationem spirituales non contrahi in baptismo, nisi inter susceptores & baptizatum ipsum, illiusque patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizati; patrem & matrem, nullamque prius mentionem facit Catechismi, aut tenentis in Catechismo. Quod si non solum per Baptismum, sed etiam per Catechismum, cognatio spiritualis contrahatur, hocque impedimentum non sit per Tridentinum sublatum, ut Navarrus, Valentia, Rebellus, & alii existimant, de illo ut de Baptismo sentiendum est, quoad mensuram graduum; quia perfecta cognatio spiritualis, debet esse regula seu mensura imperfectæ; & ut recte ait Navarrus in Manuali cap. 22. quoties duo sic se habent, ut unum sit metiens & alterum mensum, lex quæ corrigit & limitat metiens, censetur consequenter corrigere & limitare mensum, si eadem ratio in utroque militet.

Quartum impedimentum est sponsalia, seu promissio futurarum nuptiarum alicui facta; qui

Ffff

capitulum

enim cum aliqua sponsalia contraxit, non potest sine peccato mortali cum alia matrimonium inire, nisi ex iusta causa promissionem alteri factam dissolvat, ut constat ex dictis disp. 3. Nihilominus si matrimonium cum posteriori contrahat, sponsalibus legitimè non solutis, illud validum erit; quia hoc impedimentum non dirimit contractum, sed tantum contrahendum impedit, sicut & alia de quibus nunc agimus.

Quintum est votum simplex Religionis, aut 7 castitatis, aut suscipiendi Ordinem sacrum, aut non ineundi matrimonium; hic enim iure naturali, & ex natura ipsius voti, propter fidem Deo datam, & promissionem illi factam, obligat ad non contrahendum matrimonium, subindeque reddit illud illicitum, non tamen invalidum: Nam ut ait S. Thomas hic quest. 83, art. 1. Votum simplex est tantum promissio: res autem alicui promissa tantum, manet adhuc in dominio promittentis, potestque validè, quamvis illicitè, ab eo donari alteri. Quare votum simplex castitatis, id est promissio Deo facta proprii corporis, ad continentiam servandam, non impedit quin vovens possit validè, sed non licitè, illud tradere uxori per matrimonium.

Si quis autem voto castitatis vel Religionis affectus, spe & pacto futuri conjugii, virginem defloravit, aut honestam aliquam viduam carnaliter cognovit, voto non obstante, tenetur matrimonium cum ea contrahere, posito saltem quod damnum famæ inde emergens non possit aliter reparare; quia necessitas reparandi hoc damnum, prævalet voto ipsi contracto: sicut in casu quo quis vovisset dare centum aureos pauperibus, posteaque debitum iustitiæ contraheret totidem reddendi, ratione mutui, vel iniuste acceptionis, neque posset utriusque obligationi satisfacere, hæc posterior obligatio prævaleret.

Quæres, an qui votum castitatis emisit, possit inire matrimonium, animo non consummandi, sed ingrediendi Religionem?

Respondéo negativè, tum quia decipit sponsam, eique gravem irrogat injuriam, quippe quæ & difficilius alteri nubes, utpote suspecta de carnali copula cum priori conjugio, & cum molestia expectare debet usque ad solemnem conjugis in Religionem professionem, ante quam matrimonium ratum non dissolvitur, tum etiam, quia si ille ad Religionem non admittatur, tenetur redire ad conjugem, cum periculo frangendi votum castitatis.

ARTICULUS II.

Alia septem impedimenta ex crimine provenientes explicantur.

8 **E**xplicatis impedimentis prohibentibus, à crimine independentibus, exponenda sunt quæ à crimine ortum ducunt, quorum primum est incestus, nam licet incestus matrimonium irritet inter eos inter quos commissus est, & inter eorum conanguineos, saltem usque ad secundum gradum, cum quibus per incestuosam copulam affinitas contrahitur, non tamen dirimit, sed solum impedit cum cæteris contrahendum, ut habetur cap. Si quis sponsam 27. quest. 2. cap. Quædam cum fratre viri, cap. Si quis viduam, cap. Concubuit, cap. Qui dormierit. Nihil autem refert, quod ince-

stuosus nondum sit conjugatus, nam quod etiam ante conjugium contrahatur hoc impedimentum, & qui committit incestum, in penam huius criminis, licentiâ ullum contrahendum matrimonium privetur, liquet ex cap. Si quis am duabus, & cap. Si quis cum matre & filia, & cap. Quædam fornicatus est, 34. qu. 1. ubi privatur spe conjugii, qui incestum commiserunt, nullo exitum matrimonio.

Secundum impedimentum à crimine ortum, ducens, est raptus sponsæ alienæ, nam istud etiam crimine est unum ex illis propter quæ iure antiquo interdictum fuit matrimonium, ut constat ex cap. Statutum 27. qu. 2. ubi sic dicitur: Statutum est à sacro conventu (Concilio Tolentani, vel pontifici Rhemensis, ex quo caput illud desumptum est) ut si quis sponsam alterius raperit, postea parum mulietur, & sine spe conjugii remaneat. Notandum verò, non solum raptorem, sed etiam raptam, à raptui consensum præbuerit, incurrere hoc impedimentum, ut colligitur ex verbis illis, quæ ibidem leguntur: Et si raptam eadem crimine consentiens non fuerit, licentiâ nubendi alii non negatur. Hæc enim conditio frustra apponeretur, nisi neganda illi esset nubendi licentiâ, posito quod consenserit. Multi verò non improbabili estimant, hæc pœnâ non ligari feminas virorum raptrices, quia iura tantum loquuntur de raptu sponsæ alienæ, neque considerant extra ordinarios casus, qualis est, quod femina virum raptam.

Non placet tamen quod alii asserunt, hoc impedimentum non incurrî per raptum simplicem, nisi accedat copula raptoris cum raptâ. Nam citato canone statutum, nulla sit mentio de copula, sed de raptu duntaxat, ad quem & ad hanc pœnam canonice incurrendam, quatuor præcipue conditiones requiruntur. Primò, ut ad violentiam quæ vel puellæ rapta, vel ejus parentibus aut tutoribus inferatur. Secundo, ut raptus fiat causâ libidinis, siue copula sequatur, siue non, quia ut docet D. Thomas 2. 2. quest. 154, art. 1. raptus propriè est species luxuriæ. Tertiò, ut raptâ abducatur de loco in locum, & ipsius vel parentum potestati extrahatur, per hoc enim differt raptus à stupro, quo puellæ extorqueatur copula per vim in eodem loco. Quarto debet esse raptus honestæ mulieris, ut prædictæ pœnæ rapti applicentur. Uade hanc pœnam non incurrunt, qui meretricem, vel quamcumque aliam projecti nominis feminam traducit. Quod tamen aliqui limitant, nisi meretrix sit conjugata, siueque viri non non sit; vel illa per aliquod tempus honestam vitam ducere inciperit. Hoc impedimentum, post Tridentinum, non solum prohibet matrimonium contrahendum, sed etiam dirimit contractum, seu reddit illud invalidum, ut constat ex dicendis disputatione sequenti.

Tertium impedimentum ex crimine proveniens, est mors mulieris, id est, uxoris illius, quod si committatur animo ad alias nuptias transeundum, est impedimentum dignum, ut dicemus disputatione sequenti, si verò ex ira, odio, aut vindicta, est tantum impediens, qui enim uxorem interfecit, privatur spe conjugii cap. Interficiam, cap. Quicumque, & cap. Admonet 23. quest. 2. quamvis occidat deprehensam in adulterio; licet enim juxta leges civiles, qui uxorem in adulterio deprehensam, propriâ authoritate interfecit, nulla pœna placeatur: quia tamen peccat mortaliter, à jure canonico imponitur illi pœna, ut ad alias nuptias transire non possit, ut constat ex citato cap.

cap. Quicunque ubi sic dicitur: Quicunque propriam uxorem, absque lege, & sine causa, & certa probatione interfecerit, &c. Eandemque poenam extendi ad uxorem, quæ marito occiderit, constat ex cap. 2. de divorciis, ubi sic habetur: si quæ mulier in mortem mariti sui cum alio confiliata est, & ipse aliquem illorum se defendendo occiderit, potest ipse post mortem uxoris si voluerit, aliam ducere: ipsa autem infideliatrix, poenitentia absque spe conjugii fiet subiecta. Ubi mulieri mortem marito attentanti interdicitur matrimonium cum quocunque: Ergo & a fortiori reipla necem marito inferenti.

Ratio etiam suffragatur: Nam ut rectè dicitur Paludanus in 4. dist. 37. quæst. 2. art. 2. lex data pro uno correlativo, extenditur ad alterum quando eadem militat pro utraque causa: Sed eadem militat ratio in viricidio ac in uxoricidio: Ergo eadem poena privationis perpetuæ conjugii, utrumque crimen ab Ecclesia puniatur. Major patet, Minor probatur. Ecclesia punit uxoricidium poenâ privationis perpetuæ conjugii, quia est contra conjugale nexum, ut constat ex iuribus citatis: Sed viricidium non minus est contra conjugale nexum: Ergo eadem militat ratio in viricidio, ac in uxoricidio. Uade minus probabilis videtur sententia Sylvestri, Toleti, Sanchez, & aliorum existimantium, hoc impedimentum incurere duntaxat virum uxorem occidentem, non tamen uxorem maritum interficientem.

Quartum impedimentum est susceptus propriae libolis, id est, cum alter vel uterque conjugum proprium filium de sacro fonte suscipit, matrimonio infidendi causa, id est, ea intentione, ut privet alterum conjugem debito conjugali, ratione affinitatis spiritualis, ex ea susceptione inter eos orta. Ille enim in poenam huius fraudis, inhabilis redditur, ut de sancto conjugio, ad alias nuptias valeat pervenire, ut constat ex can. De eo 30. quæst. 1. ubi sic dicitur: Si conjuges legitimi unus aut ambo ex industria fecerint, ut filium suum de fonte susciperent, si in nuptiis permanere voluerint, bonum est. Sin minus, gravis poenitentia infidelitatis iniungatur, & simul maneant: & si pravaricator conjugii supervixerit, acerrimâ poenitentia mulctetur, & sine spe conjugii maneat. Idem impedimentum contrahit, qui hoc animo proprium filium baptizat, aut in Confirmatione tenet, scilicet, si id fiat ex necessitate, ut filius scilicet sine baptismo moriatur.

Quintum impedimentum est mors Presbyteralis, seu occisio Presbyteri, privata auctoritate & iniuste facta; qui enim ita interficit Presbyterum, ad quem spectat matrimonio interesse, merito illi interdicitur matrimonium, can. Presbyterum, de poenit. & remiss. ubi sic dicitur: Qui Presbyterum occidit, & de eo crimine convictus fuerit, usque ad ultimum tempus vite sue, militia cingulo careat, & absque spe conjugii maneat. Ex quibus verbis liquet, non incurri hoc impedimentum, nisi Presbytericida fuerit in foro contentioso de crimine convictus, id enim manifestè colligitur ex verbo illo *convictus*, quod de sacra & secreta confessione, in qua idem est accusator & testis, verificari nequit, sed solum de convictione in foro contentioso.

Sextum est, poenitentia publica & solemnitas, quâ durante matrimonium olim interdictum erat poenitentibus, ut patet ex can. 21. Concilii Arelatensis 2. & cap. Antiqui, 33. quæst. 2. Imò quandiu quis publicam agebat poenitentiam, non poterat debum conjugale petere. Quam

Tomus V.

A ob causam poenitentia publica non imponebatur conjugato, nisi de consensu alterius partis, ut dicitur can. 22. ejusdem Concilii.

Septimum & ultimum impedimentum prohibens, est matrimonium sacrilegè attentatum cum sanctimoniali, ut habetur cap. Hergo 27. quæst. 1. ubi statuitur, ut qui sanctimonialibus scientes matrimonio ad injuriam Christi copulati sunt, iuxta censuram zeli Christiani, separentur, & nunquam eis concedatur conjugali vinculo religari, & in poenitentia lamentis se vehementer, dum vivunt, afficiant: ac proinde totâ vitâ ab omni conjugio abstineant, quippe quod, ut supra vidimus, iniuri non poterat, quandiu publica & solemnitas poenitentia durabat.

Hæc septem impedimenta ex crimine orta, juxta communiorum Doctorum sententiam, non vigent amplius, sed per consuetudinem abrogata sunt: unde non peccant, qui iis innodati, matrimonium sine dispensatione contrahunt. Præsertim cum Prælati non curent admonere fideles de illa petenda, quamvis sæpe contingat talia crimina & impedimenta ab eis non ignorari. Advertendum tamen, quod etiam impedimentum incestus, quoad inhabilitatem matrimonii post obitum conjugis cum alia contrahendi, consuetudine abrogatum sit, non tamen quoad privationem juris petendi debitum ab uxore vivente, propter affinitatem ratione incestus cum ipsa contractam, nam sicut vir non posset cum aliqua absque dispensatione contrahere, si ante initum matrimonium, ipsius consanguineam in secundo gradu cognovisset: ita nec post matrimonium initum, potest ab ea sine dispensatione debitum petere: affinitas enim, quæ ante contractum matrimonium, impedit ne contrahatur, post contractum, impedit ne debitum petatur.

DISPUTATIO IX.

De impedimentis dirimentibus.

Ad quæstionem 51. supplementi, & alias sequentes.

Impedimenta matrimonium dirimentia, attento jure antiquo, sunt tantum duodecim: quia tamen alia duo, jure novo Tridentini statuta, fuerunt ad dita, sunt omnia quatuordecim, his verbis comprehensa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, yu, Ordo, ligamen, bonitas,
Si sis affinis, si sortè coire nequibis,
Si parochi & dupl. de & presentia restu,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tuta,
Hæc sociare jubent connubia, facta retractant.

Congruentia autem numeri horum impedimentorum colligi potest ex sequenti discursu, desumpto ex D. Thoma hic quæst. 50. art. unico. Impedimenta matrimonii sumi possunt vel ex parte contractus, vel ex parte contrahentium: si ex parte contractus, cum liberum requiratur consensus, libertari autem contrahetur error, & violentia, ex hoc capite duplex impedimentum dirimens matrimonium provenit, scilicet erroris & violentiæ, & ad impedimentum

Ffff

Via